

De balneis puteolanis

[Page Prologus]

[Prologus] - Inter opes rerum Deus est laudandus in illis
In quibus humane deficit artis opus.
Res satis est dictu mirabilis horrida visu
A tormentorum prouenit ede salus:
Nam que defunctos aqua feruens punit in ymis,
Nec eadem nobis missa ministrat opem
Cetera cum rebus curantur regna syrupis
Balnea, que curant, terra laboris habet.
Vos igitur, quibus est nullius gutta metalli,
Querite, que gratis auxiliantur, aquas
Quarum virtutes et nomina Maxime Cesar,
Presens pro vestra laude libellus habet.

[Page 1]

I. [Sudatoria] - Absque liquore domus bene Sudatoria dicta,
Nam solo paciens aere sudat homo.
Ante domum lacus est ranis plenusque colubris,
Non fera non pisces inueniuntur ibi ingreditur
Si quis parue testudinis umbram
More niuis tacte corpora sole madent.
Evacuat chimos leue corpus redit; in ip[s]o
Quouis apposita vase calescit aqua.
Hec aqua languentes restaurat et ylia sanat.
Ulcera desiccat sub cute si qua latent.
Hac te germanus capue caput ede repertum
Ad sacra paschasi pascua thure tulit.

[Page 2]

II. [Sulfatara] - Mollificat neruos lavacrum de sulphure dictum.
Cessat in hoc scabies infectaq[ue] membra nouantur.
Impregnat steriles capitis stomachiq[ue] dolorem
Destruit et lacrimas in lumine stringit aquosas.
Ad vomitum prodest oculos bene reddit acutos.
Flegmata dissoluit; febrem cum frigore tollit.
Presertim si preueniat purgacio termas.
Intrabis securus aquas nam corpora pura,
Quam semel accipiunt, seruant sine labe salutem.
Inspirant quocunq[ue] modo non Balnea culpes:
Affectum virtutis, ama: nam sepe videmus
Quod fugiunt nares fugat hoc a corpore morbos.

[Page 3]

III. [Bulla] - Est aqua que bullit et ob hoc bene Bulla vocantur.
Humani quantum bulla timoris habet.
Et Rogus inspirat saxis crepitantib[us] intus
Sic locus ignito corda fragore mouet.
Quam metuenda magis tanto magis utilis egris,
Si studeant in ea sepe lauare caput.
Et si forte caret quo possint membra lauari
Alterius curant sumere fontis aquam.
Hec virtute loci prestat calefacta salutem:
Luminis antidotum seu medicina potens
Hec caput emendat matricem purgat et inguen.
Liberat et splem congrua purgat epar.

[Page 4]

IV. [Astrunis] - Dentibus Astrunis prodest, quos reuma relaxat.
Hec reddit ad solitum, si cadat uua, locum
Faucibus apta satis Brancos ex reumate passis,
Et lesis oculis hec aqua prestat opem.
Pulmonem recreat quem tussis causa fatigat.
Inflammat corpus cui dominatur aqua.
Incitat os dapibus; stomachi fastidia tollit;
Aufert in miltis reumatis omne malum.
Pigriciam tollit membrorum pectora lenit.
Vocis ad obsequium gutturis aptat iter.
Sepius unde solet multis occasio nasci,
Ne fluat a summo uertice, flegma vetat.

[Page 5]

V. [Juncare] - Balnea Juncare que sunt in litore Ponti
Prosunt consumptis in sit adusta cutis.
Pectoris amissas reparant in pectore vires.
Letificant animos; gaudia sumpta fouent.
Que veniunt per se mentis suspiria tollunt,
Et faciunt alacres in muliere viros.
Efficiunt renes Veneris ad prelia fortes
Confortant stomachum lumina lesa iuvant.
Quas hominum certas febres int[er]polat usus
Anichilant necnon triste medentur epar.
Talibus usus aquis discrimina nulla timebit
Que quandoq[ue] solent extenuare cutim.

[Page 6]

VI. [Balneolum] - Inter aquas pelagi prope litus sub pede rupis
Magnus in effectum, fons breue nomen habet.
Balneolum dictum tante virtutis amicum
Ut paciens illic senciat e[ss]e deum.
De morbo quocunq[ue] doles, seu caumate quouis,
Lotus aqua tali tempore liber abis.
Et caput et stomachum renes et cetera membra
Confortat, tepidam si renouabis aquam.
Hec prodest oculis, oculorum nube fugata.
Consumptos reficit quos tenet egra fames.
Materiam tritici consumit et amphimerine.
Plus genus hoc aliis parthenopensis amat.

[Page 7]

VII. [Foris Cripte] - Limpha foris cripte iuxta maris edita litus
A stomacho pellit debilitatis onus.
Sed nocet ydropicis, cum sit dulcissima potu:
Vim consumendi non habet, unde nocet
Leniter ignitos assueta refrigerat artus.
Pulmonem lesum sanat et inde Jecur.
Pectoris antidotum, tussis medicamen amicum.
Desiccata febris caumate membra rigat
Ip[s]a per occultos telluris ducta meatus
Subuenit egrotis est quibus egra cutis.
Ut dicunt veteres: satis est mirabile dictu.
Ipsa foris cripte bulla ministrat aquam.

[Page 8]

VIII. [Petra] - Cui petra dat nomen, mirum reor e[ss]e lauacrum.
Quod lapidem pos[s]it frangere nomen habet.
Et caput a multis absoluit triste querelis.
Auribus auditum presta et addit opem.
Lumina detergit tunicis maculosa piatis.
Pectoris et cordis e[ss]e medela potest.
Vesicas aperit; a renibus urget arenam.
Huius aque potus interiora lauat:
Q[ua]mplures vidi calidam potare petrosos,
In quibus urina post lapidosa fuit.
Vos igitur, quibus est durus cum pondere mictus,
Assiduue talie liberat usus aque.

[Page 9]

IX. [Calatura] - Pulmoni prebet solitam Calatura quietem,
Inde fugat tussim quam grave reuma parit.
Hec stomachi vires reparat; vim crescit edendi:
Sepius assumptas decoquit ille dapes.
Declarat faciem; mentem corroborat et cor
Letificat; turpes radit ab ore notas.
Formidat quicumq[ue] tism cum tusse paratam.
Ut timor abscedat, depius intret aquam.
Inueterata suis sicut radicibus arbor
Nequaqua[m] poterit absq[ue] labore rapi:
Non aliter veteris serpenia semina morbi
Possunt euelli qualibet arte semel.

[Page 10]

X. [Subvenit Homini] - Ex re nomen habet lauacrum quia subvenit egris.
Nominis effectum gaudet habere sui.
Purgat pulmonem; deponit pondera splenis.
Depurat tumidum certa medela iecur.
Tristicie causam gelido de pectore tollit.
Humores ventris leuiter unda lauat.
Defectum stomachi tollit confortat et ip[su]m
Ut solitum solitas appetat ore dapes.
Vocem sincerat genus aufert omne doloris.
Talis amatores recreat unda suos:
Hic etiam deponit onus longue podagre
Hic datur articulis induciata quies.

[Page 11]

XI. [Sancta Anastasia]
Ascribunt homines tibi, nastasia, lauacrum
Usibus humanis comoda multa facit.
Corporis ingrati recreatos efficit artus.
Virtutes etiam corporis unda novat.
Res miranda quidem quicumq[ue] cauabit arenam,
In medio fosse feruida manat aqua.
Illa recens in fonte suo sinthomata tollit,
Languidus ardorem si paciatur aque.
Fonte relictis suis nichil affert utilitatis;
Hec eadem prodest frigida facta parum.
Qui petit ergo sui bene de langore iuuari,
Senciet auxilium, si renouabit aquam.

[Page 12]

XII. [Cantarellus] - Inter aquas pelagi feruens aqua manat et ip[s]am
Ne fluat in pontum, fictile claudit opus.
Cum Mare feruescit locus obpugnatur ab vndis:
Vix aliquis poterit eger adire locum.
Cantarus humana fruitur uirtute medendi.
Nam plagas ueteres consolidatq[ue] nouas.
Ulcera, que patitur Cutis ex humorib[us] extra,
Cantarus abstringit; lumina clara facit.
Sanguinis obturat uenam quandoq[ue] fluentem.
Subuenit arteficus; fit medicina pedum.
Utilis ad febres et frigora sed tamen huius
Usua aque lateri continuatus obest.

[Page 13]

XIII. [Prato] - Est aqua quam populi de prato Balnea dicunt;
Creditur a multis hoc ciceronis opus.
Est via difficilis que ducit ad inferiora
In quibus inueniet, quam petit eger, aquam.
Hec bene uisceribus fertur conferre modestis
Alleuiat corpus quod grauatur humor inhers.
Dicitur et duos mire mollire lacertos,
Et caput et scapulas ad sua iura trahit.
Lipposos oculos declarat et ulcera tergit.
In toto pariter corpore prestat opem,
In sudore madens fugiat pro te[m]pore frigus
Nec potum sumant dum sua membra calent.

[Page 14]

XIV. [Tripergula] - Est lacus astrata quo portas Christus Averni
Fregit et eduxit mortuus inde suos.
Hec domus est duplex, de iure tripergula dicta;
Una capit uestes, altera servat aquam.
Utilis unda satis multum sudantibus; aufert
Defectum me[n]tis cum grauitate pedum.
Hec stomachi varis facit absentare querelas.
Flebile de toto corpore tollit onus.
Debilis atq[ue] piger quibus est non multa facultas
Consulimus tali sepe fruatur aqua.
Cuius amoator aque sinthomata nulla timebit
Incolumi semper corpore letus erit.

[Page 15]

XV. [Arcus] - Dulce satis lauacrum quod nomen sumit ab arcu,
Virtutem magne comoditatis habet.
Hec aqua consumptos restaurat corporis artus.
Dat stomacho vires; arida membra rigat.
Si quis in extremis patitur, festinet ad undam.
Omnia, ne dubidet, inferiora iuuat:
Non tamen hiis prodest tumidi quos sarcina ventris
Aggrauat atq[ue] dolent splene tumente iecur.
Rem loquor expertam prop[ri]o quam lumine vidi;
Teste michi populo que scio certa loquor:
Vidi consumptum tantum cum pelle relictum
Tempore non longo restituisse cutim.

[Page 16]

XVI. [Raynerius] - Balnea Raynerii que corpora putrida sanant
Est quor[um] salsi flegmatis hostis aqua.
Si qua cicatrizat corporis serpigo uel herpes.
A scabie q[uam]uis exteriora lauat.
Infectam mundare cutim quicunq[ue] laboras,
Utere raynerio, de Cute sanus eris.
Ne tamen incurras iterum discrimina morbi
Terribiles tribuli sanus adibis aquas.
Vidi q[uam]plures hoc fastidire lauacro
Fecerat hoc hominum pingue putredo putens.
Raynerii refrenat aquas aqua turgida stagni.
Felix qui pingue evacuabit aquas.

[Page 17]

XVII. [Ferris] - Ante domum vatis lacus est ubi dictus Averni,
Grande ruinose preminet artis opus.
Hic lauacrum ferri quod habet ferruginis instar.
Dicitur umbrosa q[uo]d caret umbra domo.
Si quis emigraneum patitur quandoq[ue] Dolorem
Siue supercilii, sepius inter aquam.
Cum vicio capitis nubem caliginis aufert.
Tollitur ex oculis sanguis, ab aure sonus.
Si quis aque talis vires cognosceret eger
Collirio nunq[ua]m leesus haberet Opus
Pannosos oculos sincerat et ephetat aures.
Congaudet capiti trina suo.

[Page 18]

XVIII. [Silvia] - Sylvia diua parens inuenit forte lauacrum;
De proprio tribuit nomine nomen aque.
Hec aqua matrices quouis humore grauatus
Mundat et has steriles fructificare facit.
Menstrua, si fugiant forsan, In uita redibunt.
Et facit hoc lauacrum ne sine lege fluant.
Quas patitur matrix causas obtemperat egras
Unde queri possit femina, causa perit.
Vos igitur steriles moneat si gracia prolis
Viueret et annosi temporis egra dies:
tam uir q[uam] mulier te, Siluiana, frequentant,
Tam uir q[uam] mulier frigidus e[ss]e potest.

[Page 19]

XIX. [Culma] - Inter aquas alias mirabile culma lauacrum.
Huius ad accessum non via recta patet.
Ymo per obliquum medicis accreditur undis;
Monstrat iter dubium preuia flamma tibi.
Unda lateris intus sudorem prouocat intus.
Et facit ad neruos quos graue flegma grauat.
Luminibus lumen reddit, vestigia claudis,
Passio ni fuerit inueterata diu.
Rem loquitur certam non est incognita multis:
Culma nocet sanis, morbida membra iuuat.
Hac igitur caueat ui non eget arte medendi;
Quam si forte peti, nitet in amne moram.

[Page 20]

XX. [Trituli] - Est locus antiqua testudine ductus in aluum
Rupe sub ingenti celte cauata domus.
Plena figura[rum] morborum conscia formis
Ad quid aque valeant queq[ue] figura notat.
Res miranda satis, satis est horrendaq[ue] visu.
Hic veniente die mittitur unda semel:
Hec eadem partim primum petit equora, partim
Extenuata fluens refluit unde venit.
Plus hic q[uam] dudum bessayda que semel anno
Uni prestabat mota saluits opem,
Hic aqua cotidie q[uam] multos mota medetur
Reuma fugat Stomachum roborat atq[ue] caput
Libera ydropicos hic omnes gutta fugatur.
Flegmaticis prodest, febricitare vetat.

[Page 21]

XXI. [Arculus] - Qui breue nomen habet, magne virtutis habetur.
Arculus a flammis quod calet arcet epar.
Reumatis et stomachi vicium de corpore tollit.
Liberat a multa frigiditate caput;
Lintheis oculis obtalpa sana ministrat.
Deficit arculea triste papauer aqua;
Et si forte fugit vigilancia lumina sompnus,
Arculus adducto membra sopore fouet.
Balnea quod trituli q[uo]d culme limpha ministrat,
Arculus in multis hec operatur idem.
Qua[m]uis inter aquas trituli fit graciosior unda
Consulo non dubites hoc breuiore frui.

[Page 22]

XXII. [Palumbare] - Cripta palumbare fuerit vel grata palumbis,
Vel quia q[uod] lumbis fertur obesse parum.
Unda palumbare lesos cum vertice renes
Sanat et urine sumpta recludit iter.
Ex oculis nebulas • et ab auribus excutit euros.
Cardiacam tollit artheticamq[ue] fugat.
Et maiora facit, si scis seruare dietam:
A salsis caueas, frigida queq[ue] fuge.
Algentis vitabis atque consuesce[re] potum:
Utere lymphato, quod parit uva, mero.
Crede michi q[uod] aque faciunt quodcu[n]q[ue] syrupi,
Si bene seruetur, sola dieta facit.

[Page 23]

XXIII. [Pugillus] - Cum maris unda tumet, tanti vacat unda pugilli
Pro stacione loci, tam breue nomen habet:
Est iter obliquum paruam quod ducit ad undam;
Vix hominum septem creditur e[ss]e capax.
Ani tollit onus; ventrem cessare Solutum
Cogit et ydropicos attenuare potest.
Si patitur cum splene caput, cum frigore corpus
Febrierit, certam senciet eger opem.
Qui de te referam, nimis admirande pugille,
Quod proprio vidi lumine testor ego:
Aridus, usus aqua, baculis adiutus amicis,
Discessit sanus non ope vectis egens.

[Page 24]

XXIV. [Sanctus Georgius] - Est aqua que poterit de iure Georgica dici:
Abdita telluris vena ministrat aquam.
Qua nullus poterit flamma non indice fungi:
Nam via sub terris plena tumore latet.
Quantum mens hominis timet ingrediendo lauacrum,
Mirificam tantum leta relinquit aquam.
Hec lapidem frangit; urmam soluit ad usum.
In multis prohibet articulare malum.
Si scia, si crura, si pes, si brachia, si frons
Egrotant sanctis hiis releuantur aquis.
Hoc bene contestor; quidem cu[m] mingere vellet
Euomuit lapides virga coacta duos.

[Page 25]

XXV. [Petroleo; Olivum] - Non procul a culma locus est qui fundit olivum.
Hoc lauacrum multum comoditatus habet.
Hoc viciu[m] lepre, genus hoc serpiginis omne
Tollit et a stomacho flegmata salsa fugat.
Exiunguit coleram; grossos subtiliat artus.
Exhilarat tristes cor bene reddit ouans.
Noxia de gelidis depellit frigora membris:
Omnia letantur membra vigore suo.
Cuiuscunq[ue] genas nigra si morpheabit,
Hec aqua rugosas delet ab ore notas.
Virtutem lauacri demonstrat nomen oliui:
Hoc oleum prestat quod petra sudat aqua.

[Page 26]

XXVI. [Sol et Luna] - Cesaris est lauacrum quod Sol et luna vocatur:
Sicut sol stellis preualet istud aquis.
Omne genus gutte tollit; genus omne doloris
Fistula ni violet viribus ossa suis.
Subuenit antique lauacrum regale podagre,
Ni faciat fractos inueterata pedes.
Sed tamen ignorant ubi sit tam nobilis unda
Obruit antiquum forte ruyna locum.
Vos igitur quos longa dies fastidit et etas,
Quos tam longeuos nutrit Auersa senes,
Demonstrare locum qui sol et luna vocatur:
Utilis a multis edificandus erit.

[Page 27]

XXVII. [Fons Episcopi] - Nomine fons tali fruitur q[uo]d episcopat egris,
Vel quia pontificis cura refecit opus.
Arteticis prodest; tollit genus omne podagre,
Hunc habet expertum pontificale genus.
Et quia prelati requies nocet atq[ue] Parassis
In se deficiunt sepe dolore pedum.
Cum constipantur, notus includit[ur] intus,
Inde dolent ventres, ylia densa crepant.
Pontifices fontem perquirite pontificalem;
Utilis est vobis pontificalis aqua.
Indulgete cibis ne digestiua fatigent,
Que morbi causa sepius esse solent.

[Page 28]

XXVIII. [Bracula] - Faucibus antidotum bene confert bracula Grossis.
Et vox si fuerit rauca, fit apta sono.
Si patitur capitis pupis vel prora dolorem,
Si dolet oppressum splene tumente lecur,
Si caligo diem, noctis germana, minorat,
Omnibus hiis viciis bracula prestat opem.
Quartanam perimit; necnon necat amphimerinam,
Hic intermisce febris origo perit.
Vos igitur, quobus est odiosa planetica febris,
Huius, si sapitis, querite fontis opem.
Non opus est intrare semel; quia balnea quantum
Quis magis ingreditur, tam magis ip[s]a luuant.

[Page 29]

XXIX. [Gimborosus] - Est Aqua mirandi nimium noua dicta lauacri
De Gimberosi nomine nomen habens.
Pene per octo gradus paciens descendit ad undam.
Circinat intus aquas per latus omne gradus.
Ylia componit; vetat in matrice dolorem.
Sanguineos fluxus in muliere vetat.
A superis exire cruor prohibetur et idem,
Ne fluat insolitus, inferiora fugit.
Vesicam curat quociens urina negatur:
Ulla patet melior renibus e[ss]e salus
Si lapides vel pilos, seu si paciantur arenam
Quolibet a morbo membra grauata iuuat.

[Page 30]

XXX. [Spelunca] - Ultima termarum laudem Spelunca meretur.
Huius aqua poterit simplice nemo frui:
Ingenio faciente modum cadit unda doloris,
Sic intrabit aquas ingeniosus homo.
Cuiscunq[ue] velis, p[er]imit sinthomata gutte,
Sic fugit ydropisis tussis iniqua perit.
Ut Galienus ait, si dragmas quinq[ue] calenti
Quisq[ua]m cotidie sumere curet aque:
Et super et subter que sunt, diafragma medetur.
Reumatis excludit quod nocet omne genus.
Non domus erroris non est spelunca latronum,
Crupta salutarem continet intus aquam ~

[Page 31]

XXXI. [Dedicatio] - Suscipe, Sol mundi, ubi quem presento libellum.
De tribus ad d[omi]n[u]m tercius iste venit.
Primus [h]abet patrios Civili marte t[ri]umphos:
Mira Frederici gesta secundus habet;
Tam loca, q[uam] vires, q[uam] nomina pene sepulta,
Tercius eboykis iste reformat aquis.
Cesaris ad laudem tres scripsimus ecce libellos;
Firmius est verbum quod stat in ore trium.
Si placet, annales verbum lege, cesar auorum
Pauper in austero nemo poeta fuit
Ebolei vatis, Cesar, reminiscere v[est]ri
Ut posset nati scribere facta tui.

[Page 32]

XXXII. [Subcellarium] - Est subcellarium lauacrum quod conuenit Egris.
Lucida quo multum dulcis et unda manet.
Pondus et arborem vesice soluit • et egris
Prouocat urinam tencio cuius obest.
Hac hominis varii pertolus curatur in undis;
Dentes gingiuas in mundificando iuuat.
Passus in estate triteam vel cotidianam
Aut tepidas febres, senciatur eius opem
Pulmonis, lecoris viciū splenisq[ue] medetur.
Tussis ob hoc lauacrum pectore pulsa fugit.
Appetit et stomachus ista pertolus in unda:
Nam bene digestus redditur inde cibus.
Lentigo, scabies, turpis pannus faciei,
Hec curantur aqua quando lauantur ibi.
Reddit prolixos et claros ip[s]a capillos,
Et totum corpus exhylandando iuuat.

[Page 33]

XXXIII. [De Cruce] - Hoc lauacrum Crucis satis est laudabilis unda.
Quibus podagra iam indurata fuit.
Confortata nervos et fleuma expellit ab ip[s]is
Prodest ydropicis qui exfleumate grosso.
Consuevit eam splene tumente Jecur.
Proficit et ventris qui ypocondri grauatur.
Ad guttam frigidam que est imbita nervis
Frequentant aquam que euacuata crescit.
Vidi quendam ego ad balneum sepe balneare
Qui minime poterat ad os porrigere manum
Tempore in breui aque virtute fluendi
Teste michi multo cito discessit sanus.

